



Ordo

X 66
Ec

THESES EUCHARISTICÆ
Ad
**PSALMUM
XXIII.**

Quas DEO volente

Sub PRÆSIDIO

NICOLAI GÜRTLERI,
SS. Theol. Doct. & Professoris
Illustrisque Gymnasii Bremensis
Rectoris

*Defendendas suscipit
d. VIII. Augusti*

JOH. GULIELMUS CNAUD,
Cothen. Anhaltinus.



B R E M Æ,

Typis HERMANNI BRAUERI, Illustris Gymnasii Typograph.
Anno 1699.

ПАСКАЛЬ



PWFA 19-12

УМІ

SERENISSIMO CELSISSIMOQUE
PRINCIPI AC DOMINO
DN. EMANUELI
LEBRECHT,
DEI GRATIA PRINCIPI ANHALTINO,
DUGI SAXONIÆ, ANGRIÆ ET WESTPHALIÆ,
COMITI ASCANIÆ, DOMINO BERNBURGI
ET SERVESTÆ &c. &c.
PRINCIPI OPTIMO PATRIQUE PATRIÆ.

Serenissime Princeps, Domine Clementissime.

O Mneis immemorem beneficij oderunt, Romani maximus Autor Elo-
qui Cicero inquit lib. 2. de Officiis; nec absque iudicij acie,
quo quis magis enim vitiorum mole est gravatus, eò magis
fugiendus, ne illius labe infecti, ipsi quoque impuri & vitiosi red-
damur. Ingratitudinem autem sequi impudentiam: Et impudentiam esse
Ducem ad omnem turpitudinem; quinimodo (quod omnipium vitiorum ma-
ximum) Homines non assuefacti ad gratitudinem erga bene meritos, postea
fiunt ingrati adversus Deum, Apis Attica Xenophon suppeditat. Et
medius fidius nisi, quemadmodum bonum virum decet virtuosum
esse, nec non omnes audiri volumus virtuosi, TUÆ CELSITU-
DINIS beneficiorum gratâ mente ac devoto pectore soverem,
agnosceremq; cumulos, ingrato cuculo, qui secundum Aristote-
lem insigne οὐθῆμα est incuriosi hominis, in cuius toto corpore
ne mica quidem animi grati reperitur, potius quam Meropi & Ci-
coniæ, qui juxta Franzium, animi accepti beneficij memoris sunt ima-
gines, essem anumerandus. Verum, ἵνα ἐν τῇ περισσεύματος τῆς οὐρ-
ᾶς τῷ σύναλλη, à teneris statim unguiculis cane peius & angue al-
latrans illud vitium abhorri, & hodie dum horresco. Licet enim

tenuitas mea attingere nequeat valorem beneficiorum , quibus SERENITAS TUA CELSISSIMA , decernendo subsidium mihi literarium , me mactavit ornavitque; tamen, hæc mihi pensitanti venit in mentem historia de Æschine & Socrate, ubi Æschines discipulus à Socrate magnâ eruditus fuerat diligentia: adeò ut jam in clarissimum evasisset Philosophum. Proinde cernens Æschines, nullum par premium tam præclaro sapientiae Præceptoris se pensare posse, ait: *O Socrates, equidem pauper sum, nihilque habeo, quod pro tuis erga me meritis ac beneficiis exhibere valeam: nec tamen ipsum tibi polliceor ac dedo nunquam defuturum.* Tum Socrates, *Non animadvertis, inquit, quam multa & magna mihi tradas?* Ita & ego me totum SERENITATI TUÆ CELSISSIMÆ dedo atque offero: dum alia ratione gratus esse nequeo, quâ possum animi demissione rogans oransque, ut tantillum munericis chartacei, studiorum meorum primitias, & vultu benevolo accipiat, & voluntatem pristinam in me meaque studia retineat. Ego autem NUMEN SUPREMUM, omnis beneficentiae fontem & autorem, noctes atque dies omnibus precibus venerabor, ut Tibi, PRINCEPS SERENISSIME, unâ cum CONJUGE CELSISSIMA, ac SOBOLE utriusque sexus ILUSTRISSIMA iterum benefaciat: vitam proroget, salutaria consilia subministret: prosperitate in actionibus omnibus, tranquillâ gubernatione, omniumque rerum prosperitate & affluentia, largissime largiatur, retribuat, remuneret.

Id quod ὁλοφύχως precatur

TUÆ CELSISSIMÆ SERENITATI

Solduriorum lege devotus

Johannes Guilielmus Cnaud,



I.

P Salmo XXIII sistitur Ecclesia beneficiis præstiti Messiæ satiata per omnes N. T. periodos, quod constat cum ex nexu illius cum Psalmo præcedente XXII. qui agit partim de Passione Messiæ vs. 1 - 26. partim de beneficiis ex passione Christi ad Ecclesiam redundantibus, vs. 27 - 32. tum ex argumento Psalmi præsentis. Nam qui in eo loquens introducitur, est saturatus bonis Jehovæ, & ob satietatem lætus ac tranquillus, quibus privilegiis gaudent solum fideles Novi Testamenti. Et Jehova repræsentatur Pastor sui gregis, quod tempore N. T. esse impletum, inferius audiemus.

II. Partes Psalmi sunt duæ, quarum prior continet argumenti propositionem vs. 1. posterior ejusdem executionem, aut declaracionem, vs. 2. - 6.

III. In propositione memoratur נ gratia Dei, *Jehova Pastor meus.* ב fiducia & tranquillitas Ecclesiæ ex gratia Dei, non deficiam.

IV. Nomen *Jehovæ* notat Ens perfectissimum, præstantissimum; Eum qui est simpliciter & modo excellentissimo, den. *Wes senden*; item, Eum qui fit quod est, qui divinissimas virtutes suas in aliis demonstrat exercetque. Nam בָּנָה significat esse & fieri.

V. Hoc autem loco singulariter designat Messiam, Filium Dei, qui est *Jehova Justitia nostra*. Jer. 23:6. *Jehova Jūdex noster*, *Jehova legislator noster*, *Jehova Rex noster*, Esai 33:22. quo de Pater: *Servabo eos in Jehova Deo ipsorum* Hos. 1:7. *Requirent Jehovam Deum suum*, וְדָavidem Regem suum. Hos. 3:5. *Jehova enim heic laudatus est Pastor*, quod munus gerere Christum, mox docebitur.

A

VI. Pa-

VI. Patribus promissionis, *Abrahamo, Isaco & Jacobo* Deus non fuit cognitus nomine *Jehovæ*, Exod.6:3. quia pollicitationem dandæ Cananææ ipsis viventibus non implevit. Sed Israëlitis factus est haec tenus *Jehova* quatenus ipsos è servitute Ægyptiaca liberavit, & in Cananæam introduxit: *Ego Jehova, & educam vos ab oneribus Ægypti.* *Scietis quod sum Jehova Deus vester, qui educo vos ab oneribus Ægypti.* *Introducam quoque vos in terram, pro qua levavi manum meam, me daturum illam Abrahamo, Isaco & Jacobo, daboq, eam vobis hereditatem,* *Ego Jehova,* vs. 6.7.8. Verum Ecclesiæ N. T. Deus se præstítit *Jehovam*, quia factus est ejus Pastor, יְהוָה רֹשׁ *Jehova Pastor meus*, *Jehova pascens me.*

VII. Non negamus, & Israëlitas Dei gregem, ac *Jehovam* illorum pastorem fuisse. *Deduxisti sicut pecudes populum tuum, per manum Mosis & Aaronis.* Ps.77:21. *deduxit eos tanquam gregem in deserto.* Ps.78:52. *Serva populum tuum, & dic bene hereditati tue, & pasce eos,* Ps.28:9. *Verba sapientum - - data sunt à pastore uno,* Eccl.12:11. *Quin & Pastor ac lapis Israelis,* Gen.49:24. *pavit Jacobum tota vita sua,* Gen.48:15.

VIII. At primo commissi erant Israëlitæ pastoribus qui semet ipsos paverunt, gregemque neglexerunt, lanam, non vitam ovium quærentes, Ezech.34:2-5. unde Deus judicavit eos esse sine pastore, vs.5. & constituit delere tres Pastores, Sacerdotes, Doctores & Senatores, Zach.11:3. voluitque ipse populum suum pascere, Ezech.34:11. 16. & dare ovibus pastorem unum, servum suum Davidem. vs.23. *magnum illum ovium pastorem,* Hebr.13:20. qui palam profitetur: *Ego sum pastor ille bonus, bonus pastor animam suam dat pro ovibus,* Joh.10:11. *Ego sum Pastor ille bonus, & cognosco oves meas,* vs. 14.

IX. Evidem & parvulus Christi grex per plura secula fuit traditus pastori stulto, tabescentes non visitanti, sed carnes pinguium comedenti, pastori nihil oves relinquenti, Zach.11:15-17. AntiChristo & ejus satellitibus; tamen seriet *gladius brachium eius, & oculum ejus dextrum: brachium ejus arescendo arescet, & oculus ejus dexter caligando caligabit,* vs. 17. tum residuae pecudes, *populus ejus, & grex pascuæ ejus,* Ps.100:3. precabuntur: *pasce populum tuum virga tua, gregem hereditatis tue, in silva*

silva , in medio Carmele pascant Basan & Gilead secundum dies antiquos.
Mich.7:14.

X. Deinde Israelitæ gloriari non poterant , quod non deficerent, ve Inullius boni inopia laborarent , quippe qui testimonium adepti per fidem, non obtinuerunt promissum , quia Deus nobis melius quid providerat, ne sine nobis consummarentur, Hebr. 11:39.40. Non fuere ducti ad aquas requietum, sed in foveam in qua non est aqua, Zach.9:11. id propter comparantur sicutientibus, uti nos irriguis, Deut.29:19. & vehementer exoptarunt Messiae missionem , peccati abolitionem, mentis tranquillitatem & in Deo lætitiam , uberiorem donorum Spiritus S.mensuram , libertatem à lege Mosis, & quæ alia N. T. bona sunt.

XI. Ceterum pastor gregem dicit, pascit , rigat , à lupis defendit , oves aberrantes in viam reducit, saucias ligat , ægrotas sanat, & perditas querit: eadem officia Jehovam præstare heredibus Novi Testam. ex Psalmi hujus versib. sequentibus patebit.

XII. Fiducia & tranquillitas Ecclesiæ ex gratia Jehovæ pastoris, innuitur his verbis: *Non deficiam.* לֹא תִּחְסַר אֶת־חֶסֶד, LXX. נָא וְלֹא־תִּשְׁאַל עַל־עֲزֵזָתְךָ. & nihil mihi deficiet. Nam חֶסֶד notat inopiam, defectum. Jam XL. annis Jehova Deus tuus fuit tecum, neque indigisti ulla re , לֹא חֶסֶד רַבָּר. Deut. 2: 7. Querentes Jehovam non destituentur ullo bono כִּי־טֹב יְהֹוָה כִּי־חֶסֶד. Ps.34: 11. Constituam super eas pastores, & pascent eas, & non timebunt ultra, nec formidabunt, neque deficiant, Jer.23:4.

XIII. Re vera nobis in N. T. ad salutem lætamque animi in Deo tranquillitatem nihil deest. Sumus enim τέλειοι perfecti, I. Cor. 2: 6. heredes melioris testamenti , melioribus promissionibus sancti Hebr. 8: 6. quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, ea præparavit Deus diligentibus ipsum, I. Cor.2:9. Ditati in Ipso estis omni re, omni sermone & omni cognitione, adeo ut nullo dono destitua- mini, I. Cor. 1: 5. 7. Edent pauperes & saturabantur, Ps. 22: 27. comedunt, & adorabunt omnes pingues terræ. vs. 30. irrigabuntur pinguedine domus tuae, & torrentem deliciarum tuarum potum dabis eis, Ps.36: 9.

XIV. In ipsa argumenti declaratione docetur satietas Ecclesiæ & sub Christo & Apostolis, vs.2,3. β. sub persecutoribus, ha- reticis

eteticis & satellitibus AntiChristi, vs. 4. γ. tempore pacis inter hostes, vs. 5. δ. tempore liberationis perfectæ, vs. 6.

XV. De satietate Ecclesiæ sub Christo & Apostolis hæc sunt Davidis verba: *In mansionibus graminis recubare me facit, ad aquas requie- tum dedit me, vs. 2. animam meam convertit, dicit me per semitas justitiae propter nomen suum, vs. 3.*

XVI. Locum istum esse intelligendum de primo N. T. tempore, probatur Ῑ quia tum Jéhova fuit factus Pastor gregis sui, quod promittitur vs. 1. Κ̄ quia heic mentio fit cubitus & quietis, i.e. pacis quæ fideles sunt modo fructu dum Christum & Apostolos secum habuere.

XVII. Pastor bonus α. oves alit in pascuo salutari. β. rigat aqua limpida. γ. errantes ex aviis reducit in rectam viam. Ob quæ tria beneficia Jéhova Pastor distinctè laudatur.

XVIII. Primum describitur vs. 2. a. *In mansionibus graminis cubare me facit.* ubi attende 1. ad mansiones graminis. 2. ad cubitum gregis in illis. 3. ad cubitus hujus autorem.

XIX. נָוֹתְןִ בְּנֵי נָוֹתְןִ vel נָוֹתְןִ sine Ῑ sunt mansiones, loca quæ commode inhabitantur. Ps. 65: 13. *stillant habitacula deserti,* נָוֹתְןִ מֶרְבָּר. Joel. 2: 22. *Ne timeatis animalia agri, quia germinarunt mansio- nes deserti.* Zeph. 2: 6. *Et erit regio maritima in habitacula agnorum pa- storum.*

XX. Mansionibus his tribuitur רְשִׁי χλόη, χόρτο viriditas è terra nascentis. Gramen ovium est pabulum, & sicuti Cananæa abundavit pascuis graminosis: sic innuitur Ecclesiam Christi com- moraturam esse in multis regionibus pabulo animæ salutari abun- dantibus.

XXI. Oves Christi sunt sine dubio homines vocem illius au- dientes & ductum sequentes. *Oves meæ vocem meam audiunt, Ε̄ E- go cognosco eas, Ε̄ Jequuntur me,* Joh. 10: 27. Quare gramen non po- test non designare cibum animæ quo sectatores Jesu nutriuntur ad vitam æternam. Esai 44: 4. *Germinabunt inter gramen,* fideles recipi- ent vigorem vitamque, pasti pabulo salutari, & rigati aqua Spi- ritus S. Apoc. 9: 4. *Ipsis est interdictum ne laderent gramen terræ,* gar- rulis Monachis concessum non fuit, ut cibum verbi divini testibus Christi paratum corrumperent, vel insalubrem redderent.

XXII.

XXII. Grex Jesu Christi habuit graminosam mansionem primum in Cananæa ubi Christus & Apostoli Evangelium annunciarunt. Nam è Sione prodit lex, *¶* verbum Jehovæ ex Hierosolymis, Esai. 2: 3. *Introducam vos in Sionem, daboq; vobis pastores secundum cor meum, ¶ pascere vos scientia ¶ intelligentia,* Jer. 3: 14, 15. Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israelis, Matth. 15: 24. Proficiscamini potius ad oves perditas Israe'is, Matth. 10: 6.

XXIII. Sed post ascensionem Christi in cœlum sponsa ejus in Cananæa non hæsit. *Vineam meam quæ erat mihi non custodivi,* Cant. 1: 6. Vineam quam inter Judæos in Cananæa habui, deserui. Tum egressa in orbem terrarum, mansiones graminosas ubique locorum invenit. *Surge amica mea, formosa mea, ¶ veni. Ecce enim hyems transiit, imber mutatus est ¶ abiit.* Flores apparuerunt in terrâ, Cant. 2: 10-12. Et percontata à Sponso de habitaculo Ecclesiae: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubinam pascas?* Cant. 1: 7. responsum accepit. *Si nescias, o pulcra inter mulieres, egredere per vestigia ipsius gregis, ¶ pascere capellas tuas juxta tabernacula pastorum,* vs. 8. ubicunque oves invenies, ibi Ecclesiam habitare crede.

XXIV. Hac de caufsa David memorat *mansiones graminosas* in numero plurali, ad discrimen V. T. quando Ecclesia non nisi unam mansionem, eamque in Cananæa habuit.

XXV. Sed oves Christi pascetur in viis, *¶ in omnibus excelsis erunt pascua earum,* Esai 49. 9. Quin in deserto fore gregis habitacula, i. e. in regionibus verbo Dei antea non excultis, probant II. §. XIX. citata. Esai 65: 10. *Planities erit habitaculum pecorum, ¶ vallis Achor accubitus armentorum.* Apoc. 12: 6. *Mulier fugit in solitudinem, ubi habet locum paratum à Deo, ut illic pascant eam.*

XXVI. Ut nullus particularis cœtus gloriari jure possit, se fore perpetuo templum Dei & habitaculum Christi, si quidem grex Domini jam non unam sed plures accepit mansiones, & pascua interdum mutare debet. *Si persequentur vos in ea urbe, fugite in aliam,* Matth. 10: 23.

XXVII. Hæc de mansionibus graminosis. Recubitus in iis exprimitur verbo יְרַבֵּצְנִי, recumbere me facis. רַבְנִי est decumbere, recubare, inde Hiphil רַבְנִית recumbere facere. Esai. 11: 6.

Pardus cum hædo cubabit. Ezech. 19: 2. *Cur mater tua leæna inter leones cubuit?*

XXVIII. Lupo adventante oves non recubant, sed hinc inde discurrunt & aufugiunt: & populus Christi, hostibus in ipsum vi & insidiis grassantibus, se se abdit in latebras & diffugit, donec sedes ostendant fata quietas.

XXIX. Igitur cubitus ovium in mansionibus graminosis designat pacem & quietem fidelium, qua post Christi adventum in terram abitumque in cœlum aliquamdiu sunt fructi. Cant. 1:7. *Renuncia mihi, ubi accubare facias in meridie?* Ezech. 34: 14. *in montibus excelsis Israelis erit caula earum, ibi accubabunt in caula bona.* vsl. 15. Ego pascam oves meas, Ego accubare eas faciam. Act. 9:31. Ecclesiæ per totam Iudeam, E Galilæam E Samariam habebant pacem, E edificabantur, ac pergentes in timore Domini E consolatione sancti Spiritus multiplicabantur. Cant. 2:7. *Adjuro vos, filii Hierosolymorum, per capreas vel cervas agri, ne suscitetis, E ne evigilare faciatis amorem,* donec velit: adjuro vos Judæos per meos sectatores hinc inde inter gentes sine pastore vagantes, ne turbetis quietem sponsæ meæ, donec ipsa è vobis sponte exeat. Jer. 23:6. *Diebus ejus salvus erit Juda, E Israel habitabit confidenter.*

XXX. Accubitus vel quietis ovium autor est Jehova pastor, יְרָבִיצַנִי *recubare me faciet.* Esai 9: 6. Princeps pacis. Ezech. 34:15. Ego accubare eas faciam, dixit Dominus Jehova. vsl. 25. Feriam cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias malas de terra, habitabuntque in deserto confidenter, E dormient in silvis.

XXXI. Hoc mystico modo Christus oves suas in mansionibus graminosis recumbere facit, quod repræsentavit liberali miraculo, ubi versatus in carne sectatores in gramine cubantes cibavit. *Jussa turba discubere super herbas,* Matth. 14: 19. erat autem gramen multum in eo loco, Joh. 6: 10. tunc injunxit eis, ut discubere facerent omnes, singulatim per convivia super viridi gramine. Discubuerunt igitur πρασιά, πρασιά velut per areolas horti distincti, centeni, quinquagani, Marc. 6: 39,40.

XXXII. Secundum beneficium, quod oves à Pastore Jehova accipiunt, estrigatio: מֵ מִנוּחָתָן וּמִהְלָנִי, ad aquas requiescum

tum ducet me. Grex scilicet non solum pabulo sed & potu indiget, quare bonus pastor ei de utroque prospicit.

XXXIII. Cananæa abundabat rivis & fontibus ad rigandum pecus: *Jehova Deus tuus introducit te in terram optimam, terram torrentium, aquarum, fontium, & voraginum erumpentium per valles & per montes*, Deut. 8:7. Similiter & mansiones Ecclesiæ in N. Testam. rigantur aquis, aquis quietum, ad quas *Jehova Pastor oves suas agit*.

XXXIV. Aquas in S. literis uti rerum aliarum, sic præser-
tim & sanguinis Christi, Spiritus S. & doctrinæ Evangelii figuram
esse constat. Atque his profecto aquis oves Christi statim à prin-
cipio N.T. largiter potatae fuere.

XXXV. Nam & Jesus sanguinem suum iis dedit bibendum.
Qui edit carnem meam, & babit sanguinem meum, habet vitam æternam, Joh.
6. 54. *Sanguis meus vere est potus*, vs. 55. *Qui edit meam carnem, & bi-*
bbit meum sanguinem, in me manet, & Ego in ipso, vs. 56. *Bibite ex eo om-*
nibus, hic enim est sanguis meus N. T. qui pro multis effunditur ad remissionem
peccatorum, Matth. 26: 27, 28. *Illa die erit vena patens domui Davidis*,
Zach. 13: 1. haurietis aquas in gaudio è fontibus salutis, Esai 12: 13.

XXXVI. Et Spiritum S. accepere mensura copiosissima. Si
quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui mihi credit, sicut dixit scriptura, flu-
mina aquæ vivæ fluent ex ventre ejus. Hoc autem dixit de Spiritu quem e-
rant accepturi, Joh. 7:37.-39. secundum promissiones Esai 44:3. Ef-
fundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam. Joel. 2:28. Effun-
dam Spiritum meum super omnem carnem. Ps. 65.10. *Rivus Dei plenus est*
aquis. vs. 11. *Liras ejus irrigas, descendere facis sulcos ejus, imbribus liquefa-*
cis eam. Apoc. 22:1 *Ostendit mihi purum fluvium aquæ vivæ, splendidum in-*
star crystalli, procedentem è solio Dei & Agni.

XXXVII. Aquæ sitim extinguunt, fessos recreant, sordes
corporis abluunt: sanguis & Spiritus Christi explent sitim ani-
mæ nostræ, mentem onere peccatorum fatigatam reficiunt, &
ab omnibus peccatis purgant. Evangelium est doctrina puritatis,
plena consolationis & lætitiae. Ut aqua frigida animæ sitienti: sic nuncum
bonum è terra longinqua, Prov. 25:25. *Quisquis biberit ex aqua illa quam*
Ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua illa quam ego dabo ei, fiet in eo
fons aquæ salientis in vitam æternam, Joh. 4: 14. Non esurient neque sitient,
Esai

Esai 49:10. *Quisquis habet hanc spem in eo, se purificat, sicut & ille purus est, 1. Joh. 3:3.*

XXXVIII. *Igitur sitiens venite ad aquas, Esai 55:1. neque imitemur Israelitas de quibus conqueritur Jehova: Me dereliquerunt venam aquæ vivæ, ut effuderent sibi cisternas confractas que non continent aquas, Jer. 2:13. Quin adeamus Christum nos invitantem: Venite ad me omnes qui fatigati estis & onerati, & Ego faciam ut vos requiescatis, Matth. 11:28. Irrigabo animum lassum, & omnem animam tristem implebo, Jer. 31:25. Ego sitiensi dabo ex fonte aquæ vivæ gratis, Apoc. 21:6. Qui sitit veniat, & qui vult accipiat aquam vite gratis, Apoc. 22:17.*

מִן־חַזּוֹת *XXXIX. Salutares hæ aquæ vocantur à Davide aquæ requietum quia fluunt in locis quietis, & quietem animo conciliant. Oves Christi in N. T. initio egisse quietè & cubuisse in mansionibus graminosis audivimus supra §. 29. Et quies animi pars est hereditatis novo testamento nobis legatæ. Dixit ad ipsos, hæc est requies, date quietem lasso, & hæc est quies, & non voluerunt audire, Esai 28:12. Annunciavit Judæis quietem ab operibus servilibus & molestis, quam concederent servis legis, sed Evangelium, quietis doctrinam, repudiarunt, propterea & quiete privati, ut Moses prædixit: Neque in gentibus ipsis requiesces, neque erit requies plantæ pedis tuæ, dabitque tibi illic Jehova cor pavidum, & defectum oculorum, & mœrorem animi, Deut. 28:65. At quotquot auditis Jesum, in cuius labiis est diffusa gratia, Psalm. 45:2. invenietis requiem animabus vestris, Matth. 11:29. Reliquis est quidam sabbatismus populo Dei, Hebr. 4:9. Erit requies ejus gloria, Esai 11. 10. quies Ecclesiæ Deo ejusque populo erit glorioſa: Habitabit populus meus in tabernaculo pacis, & in tabernaculis pacis fiduciarum, & in requiebus opulentis, Esai 32:18. quanquam hæc duo postrema loca non de primo, verum de ultimo tempore N. T. agant.*

XL. *Studeamus ergo ingredi in illam requiem, ne quis in idem incidat contumaciæ exemplum, Hebr. 4:11. in quod incurrere Israelitæ, qui in Cananæam non introjerunt propter incredulitatem, vs. 6. secundum Dei juramentum: Si introibunt in requiem meam, Ps. 95:11. Cessemus à labore peccati, & vitemus opera carnis: Nam qui ingressus est in requiem ejus, requievit & ipse ab operibus suis, quemadmodum Deus à suis,*

sais, Hebr.4:10. Beati postbac mortui in Domino. Etiam dicit Spiritus, quoniam requiescunt à laboribus suis, & opera eorum sequuntur eos, Apoc. 14:13.

XLI. Utivero oves aquas limpidas unde bibant, ipsæ non inveniunt, neque sponte sua eas iadeunt, sed à Pastore ad eas aguntur: ita populus Dei nequaquam ductu vel impulsu proprio sanguinem, Spiritum & doctrinam Christi sectatur, sed à Jehova pastore eo dicitur. Ad aquas requietum יְנַחֵל נִי aget me, ducet me. Miserator eorum ducet eos, & ad scatebras aquarum aget eos, Esa. 49:10. Deducet eos ad fontes vivos aquarum. Apoc.7:17.

XLII. Qui viribus liberi arbitrii ad faciendum bonum patrocinantur, & magnum liberationis opus inter Deum & hominem partiuntur, docent: Deum gratiam suam modo proponere, & ad eam amplectendam nos invitare: hominem vero sua virtute propositam salutem complecti. Verum enim vero Jehova Pastor aquas prequietum ovibus suis non modo ostendit, sed & nos ad eas agit, quod verbum conjunctam notat efficaciam. Deus enim is est qui efficit in vobis & ut velitis, & ut efficiatis pro grātuita benevolentia. Philip.2:13. Certe & Christus testatur: Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit illum, Joh.6:44. Quare orans Deus: duc me & deduc me, Ps.31:4. Doce me facere voluntatem tuam, quia Tu es Deus meus: Spiritus tuus bonus ducat me in terra recta, Ps.143:10. Sustenta gressus meos in viis tuis, ne declinent pedes mei. Ps.17:5.

XLIII. Tertio, pastor bonus oves errantes quærit, & in viam rectam reducit. Utrumque Ecclesia prima N.T. de Jehova Pastore affirmat: נֶפֶשׁ יִשּׂוּבְ בְּמַעְגָּל לְצַדָּקָה animam meam convertet. יְנַחֵל שָׁטוֹ, ducet me in orbitis justitiae. Subjicitur causa movens:

XLIV. Convertere est reducere, redire facere ex errore in viam rectam. נֶפֶשׁ anima tribuitur in S. literis omni animanti, etiam ratione carenti, & à Paulo distinguitur à Spiritu, mente 1.Thess. 5:23. designatque animam materialem, è subtiliore sanguinis portione constantem, quæ agit corpus & mentem corpori arctissime conjunctam.

XLV. Corporea hæc anima nos facit οὐθεώπεις φυχικές, homines animales qui res spiritales neque cognoscunt neque recipiunt,

piunt, i. Cor. 2:14. agitque nos maxime in errores & ambages avias, ut declinemus à meta vera, Deo, & feramur cupiditatibus pravis omnisque generis affectibus vitiosis, & faciamus opera carnis, sistentes membra nostra peccato instrumenta in justitiæ, & implentes legem in membris quæ rebellat legi mentis, & capti vos nos reddit legi peccati in membris, Rom. 6:13. & 7:23.

XLVI. Idecirco hæc anima habet opus ut convertatur, & à falso ad verum, à malo ad bonum reducatur. Erravi sicut ovis quæ perit: quare servum tuum, Ps. 119:176. Cl. Coccejus hæc verba: animam meam convertit, redire facit: in Lexico interpretatur, ex deliquio me recreat. Sic Prov. 25:13. in Animam Domini sui redire facit, נְפָשׁ אֲרֻנוּ יִשְׁבֵּת, recreat dominum suum. Et Ps. 19:8. Lex Ieshovæ nominatur מִשְׁׁוֹרְתָּן נְפָשׁ, convertens animam, vel ut habet magnus interpres, reficiens animam. Quæ sanè interpretatio cum priore conjungi potest. Nam longos motuum corporis & cogitationum animi errores certo sequitur delinquim, pè quo & ipso ut reducamur ad vitales operationes necesse est.

XLVII. Re autem vera Christus & Apostoli gregem quem in principio N.T. paverunt rigaruntque, ex errorum gyris & ambagibus reduxere. Judæi enim à falsis Pastoribus, Pharisæis, Sacerdotibus & scribis seducti turgebant opinione propriæ justitiæ, characteres veros Messiaæ & vera illius beneficia ignorabant, signa temporum negligebant, neque nisi ad vanas Patrum traditiones attendebant. Ideo & vocantur perditæ oves domus Israëlis, Matth. 10:6, & 15:24. Ernauerunt oves meæ in cunctis montibus, & in omni colle excelsa, & in omni superficie terræ dispersæ sunt oves meæ, nec fuit qui quereret, nec qui requireret, Ezech. 34:6. Ceteræ autem gentes, ut pote quas Deus siverat in suis ipsarum viis incedere, Act. 14:16. adhuc longius aberraverant, viventes sine Deo & sine promissione, venerantes idola, deditæ superstitionibus, in viam salutis nescientes, & quæ excogitari queunt turpissima flagitia sine modo & intermissione patrantes.

XLVIII. Sed utrumque gregem quæsivit Christus & in viam rectam reduxit. Judæorum enim magnam multitudinem ad se convertit. Et quando cum publicanis & peccatoribus egit, defendit sese exemplo viri centum oves habentis, & relinquens

tis

tis nonaginta novem in deserto, ut quærat unam perditam, Luc. 15:1-6. Mox & Apostolos ac LXX. discipulos dimisit per omnes urbes & vicōs Israēlis ad quārendum oves perditas. Tum impletum vaticinium Dei apud Jerem. *Dabo vobis Pastores secundum cor meum, pascētq; vos scientia & intelligentia*, c. 33: v. 15. & apud Ezech. *Ego ipse requiram oves meas, & quāram eas*, c. 34: v. 11. *perditam requiram, & abjectam reducam, & confractam obligabo, & agrotam consolidabo*, v. 16. Atque ante Christum Jesum & Apostolos, Johannes B. *convertit corda Patrum ad filios, & contumaces ad prudentiam justorum*, Luc. 1:17. De gentilibus in ovile suum introducendis ait Jesus ipse ad Judæos: *Alias etiam oves habeo quæ non sunt ex hac cœta, illas quoque oportet me adducere, nam vocem meam audient, sicutq; unus ovile, unus Pastor*, Joh. 10:16. Est enim mortuus Jesus pro ea gente, Judaica, nec tantum pro ea gente, sed etiam ut filios Dei dispersos cogeret in unum, Joh. 11: 51, 52.

XLIX. Reductas ex erroribus oves Jehova Pastor dicit in viam rectam, *ducet me per semitas justitiae*. Prov. 4:11. Per viam sapientiae docui te, calcare feci te במעגלי ישר orbitas rectitudinis. Ps. 107:7. *Deduxit eos per viam rectam, ut irent ad civitatem habitationis*. Orbitæ justitiae sunt præcepta quæ si observentur, ducunt nos ad justitiam, maestant nos jure petendi vitam æternam propter Jehovahm Pastorem, qui nobis factus est sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio, 1. Cor. 1:30. Ut enim vita sæpe comparatur metæ homini præstitutæ: ita medium assequendi vitam confertur orbitæ, viæ ducenti ad istam metam. Hoc vero medium sunt præcepta Dei. Esa. 59:9. *semitas suas perverterunt sibi, non mea servant præcepta, sed agunt pro libidine*. *Lata est porta & spatiovia via quæ abducit in exitium, multique sunt qui per eam introeunt*. *Angusta est porta & stricta via quæ abducit in vitam, & pauci sunt qui inveniant eam*. Matth. 7: 13, 14.

L. *Ducet me in orbitis justitiae*. Ducere in orbitis est facere, ut in iis ambulemus, sive ut præcepta Dei servemus. Socini & Arminii sectatores omnem Dei gratiam eo concludunt, quod voluntatem suam nobis clare indicet, eamque explere præcipiat. Quod tamen solùm est orbitas justitiae monstrare, non item in iis oves ducere. Vid. §. XLVII.

LI. Caussa quæ Jehovam Pastorem movet, ut gregem suum agat ad aquas quietum, & ex erroribus in orbitas justitiae reducat, est ipsius gloria. Duceat me propter nomen suum. Et Christus oravit Patrem: *Serva eos per nomen tuum quos dedisti mihi*, Joh. 17:11. Nomen Pastoris Jehovæ designat h. l. divinas ipsius virtutes quas oves pascendo facit notas, bonitatem, patientiam, misericordiam, sapientiam, scientiam, potentiam, &c. Hæ scil. in toto terrarum orbe debent innotescere, & propter id oves pascit, rigat, querit, dicit. Nam quicquid Deus agit, agit propter gloriam nominis sui. *Notus in Iuda Deus, in Israele magnum ejus nomen*, Ps. 76:2. *Jehova Domine noster quam grande est nomen tuum in universa terra?* Ps. 8:1. *Laudate nomen Jehovæ, sit nomen Jehovæ benedictum ex hoc tempore, usq; in seculum, ab ortu solis usq; ad occasum ejus laudabile nomen Jehovæ*, Ps. 112. 1. - 3.

LII. Absit ergo ut honorem nostræ salutis, aut partem ejus nobis transscribamus, qui in solidum debetur nomini Jehovæ. *Non nobis, Jehova, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, Ps. 115:1. *Laudent nomen Jehovæ, quia ejus solius nomen est exaltatum*, Ps. 148:13. *Invoicate nomen ejus, nota populis facite opera ejus, mementote quod excelsum est nomen ejus*. Esa. 12:4. *Aduva nos Deus salutis nostræ, propter gloriam nominis tui, Erue nos, Propitiare peccatis nostris propter nomen tuum*, Ps. 79:9. *Propter nomen meum differam furorem meum, propter laudem meam prolongabo iram meam tibi, propter me, propter me faciam*, Esa. 48:9, 11.

LIII. Sequitur jam consideranda Ecclesiæ satietas sub persecutoribus, hæreticis & AntiChristi satellitibus ¶.4. ubi memoratur ¶ Periculum Ecclesiæ. Si ambulem in valle umbræ mortis. ¶ Fiducia in periculo. Non timebo. ¶ Auxilium Dei in periculo. Quia tu mecum. ¶ Educio ex periculo. Virga tua & baculus tuus &c.

גַם כִּי אָדָךְ בְּנֵי : גַם כִּי צְלָמֹת Etiam si ambulavero in valle umbræ mortis. Etiam quum, vel, etiam quando ambulavero. LXX. εἰπεν γὰρ οὐκ πορευθῶ. Indicat Ecclesia, postquam egerit aliquamdiu in mansionibus graminosis, ad aquas quietum, prope insecurum tempus quo sit ventura in vallem umbræ mortis. Atque cœpit ista periodus statim à morte Apostolorum, duravitque per multa secula usque ad Reformationem.

LV. Mors

LV. Mors est amissio vita separans animam à corpore, & Deo & à Christo. Sed quid *צלמות umbra mortis σκιὰ θανάτου*, cuius sit in S. Scriptura sæpius mentio? Job. 12: 22. *Educit in lucem umbram mortis.* Job. 24: 17. *Mane ipsis umbra mortis.* Ps. 44: 20. *Coperisti nos umbra mortis.* Amos. 5: 8. *Convertit in mane umbram mortis.*

LVI. Umbra ex se est nigra, obscura, tenebrosa. Itaque umbra mortis significat caliginem, tenebras mortis; ut enim vita luci, sic mors caligini, nocti atræ comparatur. *Nervos atque cutem morti concesserat atræ.* *Omnes una manet nox.* Horat. l. i. od. 28. Et mortui vocantur umbræ: *Dii quibus imperium est animarum, umbraq; silentes.* *Licet ingens janitor antro Aeternum latrans exsangues terrat umbras,* Virg. Æneid. l. 6. Et Horat. lib. 4. Od. 7. *Nos ubi decidimus, Quo pius Aeneas, quo Tullus dives, & Ancus, Pulvis & umbra sumus.* Ulysses matris suæ animam quam complecti volebat, apud inferos, *σκιῆς ἕλον umbra similem* avolasse, refert apud Homer. Odyss. 8.

LVII. Nec modo mortui sed, & illorum sedes umbrarum nomine veniunt. *Iabant obscuri sola sub nocte per umbras.* *Imas Erebi descendit ad umbras.* *Sed me jussa Deum, quæ nunc has ire per umbras, per loca senta situ cogunt, noctemque profundam.* Virg. l. 6. Æneid. & l. 12. *Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.*

LVIII. *Νέαν*, unde Græcorum *γῆ & γῆμα*, vallis, est locus declivis. Vallis umbræ mortis est sepulcrum, in quo reconduntur mortui caliginosa nocte pressi. Et Virgilius sedibus inferis tribuit convallies. *Hunc (ramum) tegit omnis Lucus & obscuris claudunt convallibus umbræ,* l. 6. Æneid.

LIX. Igitur summa hujus prædictionis est, Ecclesiam post Christi & Apostolorum tempora fore mortis periculo obnoxiam. Quod primo verum est de morte corporis. Nam ab Imperio Domitiani usque ad Licinium testes Jesu Christi plurimos veritatem cruenta confirmasse morte, constat cum ex historia tum ex vaticiniis: etsi Dodwellus in dissert. Cyprian. eruditè disputet, martyrum numerum haud esse tantum, quantus vulgo putetur. *Propter te occidimur quotidie, & estimati sumus ut pecudes ad jugulandum destinatae,* Ps. 44: 23. *Veniet tempus quum quisquis vos interficiet, putabit cultum præstare Deo,* Joh. 16: 2. *Vidi subter altare animas eorum qui madati fuerant*

rant propter verbum Dei, & propter testimonium quod tuebantur, Apoc.6:9.
Et secundo clangente Angelo tertia pars maris facta est sanguis. Apoc.8:8.

LX. Postquam autem Romani Imperatores desierunt cædibus sœvire in Christianos, Constantino ad Imperium electo, aliud mortis genus Ecclesiæ insidiabatur, doctrina venenata & superstitione ac scelerum grassatio. Ut enim doctrina veritatis secundum pietatem est sermo vitæ, Philip. 2:16. sic doctrina falsa à Deo vitæ fonte abducens, atque ad impietatem & superstitionem perducens, mors est. Hinc Doctores falsi post annunciatum Evangelium orti appellantur *arbores bis mortuæ*, Jud. v. 12. & corruptione Ecclesiæ postquam Jesus produxit vitam in lucem 2. Tim. 1:10. mors secunda, Apoc. 2:11. & 20:6. Hac ratione Ecclesia in ultimum vitæ periculum fuit adducta per Arianos, qui Christum τὸν ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς Principem vitæ autorem, Act. 3:15. vitam hominum lucem Joh. 1:4. per Macedonianos qui Spiritum vitæ, Rom. 8:2. criminati, & per Pelagianos qui divinam virtutem nobis omnia donantem ad vitam & pietatem, 2. Petr. 3:1. infitiati sunt. Ego novi hoc quod post discessum meum ingressuri sunt in vos lupi graves, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis orientur viri qui loquentur perversa, Act. 20:29,30. Cavete vobis à falsis profetis qui veniunt ad vos cum indumentis ovium, sed intrinsecus sunt lupi rapiaces. Matth. 7:15. Inter vos erunt falsi doctores qui subintroducent hereses exitiosas, & multi sequentur eorum exitia, 2. Petr. 2:1.2.

LXI. Sed præter istos sacræ religionis corruptores vastavit Ecclesiam Profeta ille falsus excellenter dictus, Apoc. 16:13. & 19:20. AntiChristus qui vocatur mors, uti Christus est vita. Apoc. 6:8. Qui insidebat ei (equo pallido) nomen illius mors, & sepulcrum sequebatur eum. Apoc. 20:13. Mors & sepulcrum reddiderunt mortuos. Nam hominibus cum animæ tum corporis mortem intulit.

LXII. Etenim sub eo doctrina de pane vitæ cara & rara fuit, Apoc. 6:6. Omnem escam abominabitur anima eorum, & pervenient usque ad portas mortis, Ps. 107:18. Ex tædio Sacræ Scripturæ doctrinæque salutaris, qui verus est animæ cibus, incident in lethales errores ac superstitiones. Exadorem agit mors super eos, descendens in sepulcrum viventes, quia mala sunt in societate eorum, Ps. 55:16. Multi homines mortui sunt ex aquis, quod amare factæ essent, Apoc. 8:11. ex corrupta Evangelij doctrina quæ melle est dulcior, plurimi obiere.

LXIII.

LXIII. Sic animam aut vitam amiserunt qui eam se servatu-
ros sperarunt in disciplina AntiChristi. At eos qui soli Christo
habenti verba vitæ æternæ, Joh. 6:68. adhæserunt, affecit primi ho-
midae vicarius morte corporis. Data est eis, Morti & sepulcro,
in quadrantem terræ potestas trucidandi gladio & fame, & morte, perq; ter-
restres feras. Apoc. 6:8. faciet ut quicunq; non adorarint imaginem bestiæ, oc-
cidantur, Apoc 13:15. Congregant exercitum contra animam justi & sangu-
inem innocentem condemnant, Ps. 94:21. Experti Albigenes & Walden-
ses in Gallia & Pedemontio, Wiclefi affeclæ in Anglia, & Hussi in
Bohemia.

LXIV. In extremo hoc Ecclesia discrimine vitæ constituta
haud depositit fiduciam in Deo, sed constanter retinuit. **לֹא אִירָא
עֲדָם**, non timebo malum, Græci, & Φοβηθήσουμαι κακόν.

LXV. Verum est, Christianos, ingruentibus hæreticis &
AntiChristianis seductoribus, nimium eheu nimiumque fuisse se-
curos. Nam, quum dormirent homines, venit inimicus, & seminavit zi-
zania inter triticum, abiitq;, Matth. 13:25. At de hac oscitantia & se-
curitate sermo heic non est, sed intelligitur recta & sancta in Deo
fiducia, qua confidimus, malum nobis non esse prævalitum.
Non timebo malum. Objectum metus est res mala quæ nos invade-
re vult, metuique opponitur spes qua judicamus nos fore ab
imminente malo liberos, & retenturos bonum quod possidemus.
Cum judicio isto conjungitur tranquillitas, acquiescentia & læti-
tia animi.

LXVI. Grex Jehovæ per Christum & Apostolos erat positus
in mansionibus graminosis, ductus ad aquas quietum, & ab er-
roribus conversus ad semitas justitiae, quæ sunt via vitæ: sed Im-
peratores præfectique homicidae struxere illi sepulcrum, & mor-
tem intulere fævam; hæretici non præbuerunt salubre gramen,
non propinarunt aquas quietum, verum absinthium & aquas
amaras, mortiferas; AntiChristus oves non duxit per semitas ju-
stitiae, sed veluti ὁ ἄρρως exlex ille, 2.Thess. 2:8. & sedens in folio
perversatum, fingente iniquitatem per statutum, Ps. 94:20. venit cum omni
seductione iniquitatis in pereuntibus, 2.Thess. 2:10. & seducit incolas
terræ, Apoc. 13:14. ut ambulent in valle umbræ mortis.

LXVII. Tergemina tamen ista mala pii non timuere, certa
spe

Spe fr̄eti , illa sibi non pr̄evalitura. Ne metue parve grex , nam placuit Patri vestro dare vobis regnum , Luc.12: 32. Mortem corporis non metuerunt , sed tranquilla & hilari mente pro confirmando Jesu testimonio obierunt , credentes sanguinem ipsorum fore semen Ecclesiæ , animamque victuram apud Deum , secundum iteratas promissiones: Ne timete ab his qui trucidant corpus , animam autem non possunt trucidare , Matth.10:28. Beati qui persecutionem patiuntur justitiae causa , quoniam ipsorum est regnum cœlorum , Matth. 5:10. Esto fidelis usq; ad mortem , & dabo tibi coronam vitæ , Apoc.2:10. Portæ sepulcri non superabunt Ecclesiam , Matth. 16: 18.

LXVIII. Nec metuerunt, hæreticos veneno doctrinæ mortiferæ omnes esse interfecturos. Sciverunt enim , electos non posse seduci , utpote renatos non ex semine corruptioni obnoxio , sed ex incorrupto , per sermonem Dei viventis & manentis in æternum , 1.Pet.1:23. Surgent falsi Christi & falsi Profetæ , edentq; signa magna & miracula , adeo ut seducant si fieri possit , etiam electos , Matth.24:24. At hi custodiuntur virtute Dei per fidem ad salutem , 1.Petr.1:5. Sciverunt germinare herbam & fructum edere etiam quum zizania apparent , Matth.13:26. & hæc non esse præmature colligenda , ne simul triticum cum iis eradicetur , v.29. Et grassante errorum vitiorumque morte subinde vixerunt viri sancti & cordati , qui conabantur lethiferæ huic corruptioni mederi , & successu prospero frustrati sperabant , alios medicinam istam felicius facturos.

LXIX. Nec abjecit animum populus Dei firmata AntiChristi per fraudes & cædes grassantis tyrannide. Nam persuasissimum habuit , eos solos adorare bestiam , quorum nomina non sunt scripta in libro vite Agni , Apoc.13:8. & servos Dei obsignari in frontibus Apoc.7:3. ne laedantur aut corrumpantur ; ac licet cum meretrice magna scortentur Reges terræ , & vino scortationis ejus inebrientur incole terræ , Apoc.17:1,2. plurimos tamen , media in societate impura , fide firma & mente casta Christo adhærere. Hi sunt qui cum mulieribus jenon inquinarunt , virgines enim sunt . hi sequuntur Agnum quocunq; ierit , Apoc.14:4. Aspexi , & ecce turba multa , quam numerare nemo possit , ex omnibus gentibus , tribubus , populis & linguis stabantque ante solium , & in conspectu Agni , amicti stolis albis , & palmæ in manibus eorum , Apoc.7:9. Hi sunt qui venerunt ex afflictione magna , & laverunt stolas suas ac dealbarunt in sanguine Agni , vs.14. Necandi cogitarunt : Jehova factus mihi pro arce , & Dens meus in petram fiducia meæ. Et reddet iis iniquitatem suam , & malo ipsorum succidet eos , succidet eos Jehova Deus noster , Ps.94: 22, 23.

* *

MANTISSA RESPONDENTIS.

- I. Fuisse Praeadamitas , id est homines ante Adamum , absurdum est.
- II. Locutionem, quæ occurrit Gen.3:22. Et dixit Dominus Deus : Ecce Adam factus est ut unus ex nobis , ad sciendum bonum & malum. Et nunc mittet manum suam, & sumet etiam de arbore vite, & vivet לְעָלָם fuisse ironicam & μημηπικήν affirmamus.
- III. Animæ non sunt creatæ ab æterno, quemadmodum Origenes aliique, malè docuerunt. Neque per animam traducem , ut lumen de lumine producuntur ab ipsis parentibus, quemadmodum tales conceptus plane de mente corporeos , & αὐτὸς τῆς αἰλυθείας valde alienos multi ex Protestantibus sibi formant.
- IV. Pontificii ex loco Hebr.6:4,5,6. neque obscuritatem Scripturæ S. quod hi versus obscuri; neque Apostasiam Sanctorum, quoniam renati possent excidere gratia Dei, quæ sunt verba ad h.l. Friedlib. unquam probabunt.
- V. Beati fidem in cœlis habere dici non debent ; quippe non amplius ambulant δια πίστεως, sed άγριες εἰδές 2.Cor.5:7.
- VI. τὴν γὰρ δόν οὐ αράν τὴν Ελασθίουσαν Hebr. 9: 4. significationem habuisse in Christi , qui est חַמְרָמָנוּ יִשְׁיָהוּ Esa. ii: 4. vigorem Sacerdotii & efficaciam, non adeò absconsum nobis videtur.
- VII. Cum illis haud facimus , qui per mortem Mosis intelligunt transmutationem , qualis erit viventium ἐν τῇ ἐχάρτῃ σύλπιγγι, I.Cor. 15:52. quæ immutatio mortis erit ἐν αὐτούσι , ἐν ριπῇ ὄφεως. Si quidem verè mortuus dicitur מֶת אֹהֶן כַּנְשֵׁר Deut. 32:50. & sepultus in valle in terra Moabitarum. Cap. 34: 6.
- VIII. Amamus magis sententiam Josephi , Chrysostomi , Ambrosii , Augustini , aliorumque virorum magnorum , qui volunt Jephtham filiam suam יְחִירָה quæ exibat ad videndum ipsum בְּתֵפִסְׁתָּ וּבְמַחֲלוֹת reverè mactasse , & ut victimam immolasse. quam eorum , qui patrocinantur , eam modò separatam ab hominibus , & prohibitam fuisse ab omni conjugali conformatio , ut Deo vacaret soli , & improlis maneret omnibus vitæ diebus , à nullo agnoscenda viro.

Ad



Ad Nobilissimum D. Respondentem.

Pascuos campos Gileadis atque

Limpidos fontes ovium Jehovæ

Pervigil curas studiose CNAUTI

Mente sagaci.

Avias valles tumulumq; mortis

Quo malus pastor gregis innocentis

Dirigit gressus, fugitare monstras

Tramite recto.

Gratulor sancto studio, precatus

Numen, ut vitæ cupidum beatæ

Pabulo pascat salubri, rigetque

Fonte perenni.

Cresce pascendo, lupus atque vulpes

Vineam vastans abigantur, agnos

Mox Anhaltinos nutries Sionis

Gramine læto.

Gloriā Christo tribues merenti!

Solus is nostram sat agit salutem,

Nomen humanum sileamus, unum

Tollite Jesum

Laudibus, quotquot vaga solitudo

Vidit in silvis habitare nigris:

In viam errantes nisi Christus agnos

Nemo reduxit.

Hæc tuæ semper pia concionis

Summa sit, CNAUTI, & probitate vitæ

Creditam turbam præeas, futurus

Incola cœli,

f.
NICOLAUS GÜRTLERUS.

S' è

S' è gloria per un Soldato

Se spesso l' arme alla mano ha ;

A nissun colpo non attento stà ,

E sempre à difender è parato ,

Ridendosi di tutto telo ,

Armato con vigor di gioventù :

Più merita figur quella virtù ,

Che pugna per la verità del cielo .

Così augura al Nob. Sigr. Rispondente.

G. T. M.

Ad Dottissimum Dn. RESPONDENTEM

προσφάνησις

JOH. HENRICI BURGERI.

Nον, κίναυτε, Ηθικού Διάλεξιν, ὅτι ἐσὶ θερισμὸς,

Ως δεῖξων, πῶν δεῖ Νέος ἔργου ἔμεν.

Οὐ τις ἄρδι ἀγροίκων σπόρου εὐσεχυν εἰς ἀποθήκην
Βάσασεν, καὶ πεότερον τῆς παλαιόμησι πονῶν.

Τὸν γὰρ ἀμᾶν ἐθέλοντα, πόνος τελέσαμι δεῖ ἀμέτρος ,

Δεῖ θιμαρέμεν τὴν γῆν, δεῖ σπόρου εῖτα βαλεῖν.

Τις δὲ λέγειν δύναται κακὰ πάντα, ἡ ἀγριος ἀνήρ
Καρπέει, πρὶν ἔχῃ τοῦ πόνου γέρας ;

Νῦν ὅμβρῳ βρέχεται, νῦν αἱζεται ἥελίοιο
Ιδεῖ, οὐα φέρει νῦν βριαροῦ κρύψεις .

Τοῖος ἐμοὶ δοκεῖ καὶ σωθιάζων πεῖ τέχνας ,
Οἷος ἀροτρεύειν ἐσὶν ἀγροῖκος ἀγρόν .

Οὐ γὰρ μὴ καμάτης πολλὰς νέος ἐκτολυπεύει ,
Καρπάς παιδεῖας γὰρ ἀπολαύει ὅδε .

Οὐ γὰρ ὄνειρος ἐκεῖ, ὅπας ὄκνος ἀεργὸς ἐνεργεῖ
Κῦδος ὀπηδῆσει τῷ φιλέοντι πόνον .

Taciturnus

Ταῦτα ἄπαντα καλῶς οἶδας, Κίναυτε φίλιστε,
Οὓς κινέῖς ἀντὸν, πάντοι ἄπαντος ἐών.
Δῆτα φέρεις συζητήσας καμάτοιο ἀπορχάες,
Αὐτοὺς μητὸν αλήγη σόν ποτε ληφόμενος.
Ἐγγε πόνγε τῷ καρδιοφόρῳ, σοὶ τύνομα ἄλλο
Ἐυαρμοσότερον σόκεδμύναντο μέρμεν.
Οὔτω πέπλον ἀεί κίνει, Κίναυτε, ἑωτόν.
Τούνομα εἰ τυρῆς, καὶ τὸ μέγι γνομ' ἔσῃ.

דוידי מחשש את טמוני
תורת אלהיינו וישראל
אתה יסוף לעשה כתוכן
שרוי לך עשב ונחן

אשרי אשר חפץ צוב תורה
עליזון אשר הגה בערנץ
לבו והיתה לו ברכה
רבה והיטבת בית מנחה

Vous voyant, mon amy, parler de grands mystères
De Dieu, & prouver que vous ayés beaucoup d'heures
Employé à l'étude, n'aimant l'oisiveté,
Et que vous ayés lu sans être ennuyé
Les livres de savans ; je louë votre diligence:
Passés en ce chemin qui est sans pénitence :
Je vous proteste si vous passés ainsi quelques ans,
Que vous deviendrez un homme de plus savans.

J. E. E. Eckebret, Anhalt.
SS.Th. St.



17 WB 1712



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

ARISTICÆ

MUUM
II.

volente

GI

ÜRTLERI,

& Professoris
Gii Bremensis

scipit
usti

IS CNAUD,
ltinus.



Æ,
stris Gymnasii Typograph.

H 66
Ec